



# **Monomachia juridica seu novena dissertationum inauguralium delibans diversas materias juris canonici civilis & feudalis immixtis quibusdam pertinentibus historico-politico juridicis**

<https://hdl.handle.net/1874/343801>

# MONOMACHIA JURIDICA

S E U

28.  
Novena Dissertationum Inauguralium de-  
libans diversas materias juris Canonici Civilis &  
feudalis immixtis quibusdam pertinentibus  
Historico-Politico juridicis.

*Q V A M*  
PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**M. GERARDI de VRIES,**

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimeque  
Facultatis JURIDICÆ Decretō,*

**PRO GRADU DOCTORATUS**

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
rite ac legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicit*

**JOANN. HENKENIUS PADER: WESTPHALUS.**

*Ad diem 3. Septembris horâ locoq[ue] solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clo Ioc xcii.

MONOMACHIA IURIDICA

Nova et Difficilissima iuris iustitiae et  
ipsum diversas iuris iustitiae iuris Consuetudini Civitatis et  
legibus iuris iustitiae dupliquem perfruuntur  
Hispanico-Polylico iuridice.

D E O  
GERALDUS de VRIES  
PROGRADU DOCTORATUS  
FAUTORIBUS.



Ex Officina Francisci et Henrici Academiae  
Typographorum, apud Iosephum T

# DISSE

# TATIO PRIMA.

## De Justitia & Jure.



Mnium rerum, quæcunque in hac immensa Universitate reperiuntur, finem aliquem esse, necesse est, propter quem sunt, & ad quem tanquam ad scopum suum ordinantur ideo & ego, ne illotis (ut ajunt) manibus in decretam meam monachiam contra consilium JCti in l. 1. ff. de orig. jur. irruam, nec ad summos locorum apices postpositis gradibus per abrupta temere ascensum quæram.

à definitione justitiæ ordior, & dico cum Ulpiano  
in l. 10. ff. b. tit. QUOD SIT CONSTANS ET PERPETUA VOLUNTAS JUS  
SUUM CUIQUE TRIBUENDI, non solum DIVINA ut multi propugnare  
conantur, sed & HUMANA externa civilis seu politica, quæ tantum per-  
tinet ad formandos in hac vita verè politicos mores, & exigit exterio-  
rem quandam honestatem ut in tuto sit reipublicæ tranquillitas Schneid. §.  
1. *Inst. b. tit.* dicitur CONSTANS ET PERPETUA VOLUNTAS, id est  
habitus animi volentis & incitati ad suum cuique trbuendum, ut sic me-  
tonymicè ponatur effectus pro causa, pro uti clarissimum Universitatis  
Carolo Ferdinandæ Pragensis fidus Joannes Christophorus Schambogen  
olim observandissimus Dominus meus Professor in prælectionibus suis pu-  
blicis *boc. tit. ad princip.* refert cum Aristotele lib. 2. Eth. c. 4. ad virtu-  
tem tria requirens, *Primo* ut quis operetur sciens, *secundo* ut sit eligens  
& propter debitum finem, *tertiò* ut immobiliter operetur, non enim  
censetur ex virtute solidè loquendo procedere quod subinde fit, cum  
etiam in vitiis habituati bene nonnunquam operentur, qui tamen per hoc  
statim officium sacerdotis justitiæ exercuisse & ex virtutis habitu operatos  
esse audire non merentur; voluntas enim nisi in habitum transierit, fir-  
ma & constans esse non potest *Wesemb. in ff. b. tit. num. 10.* dicitur jus  
suum CUIQUE TRIBUENDI hoc enim proprium munus & quasi insigne  
justitiæ est extra se agere & suum cuique, id est alteri à se in individuo de-  
bitum tribuere, quæ uti duplex est, ita quoque ratio trbuendi duplex  
intelligitur, nempe in distributionibus pecunarum est præmiorum pro me-  
ritis, & in commutationibus rerum, ne cui fiat injuria sed servetur æqua-  
litas hinc sit.

### PERTINENS EX SACRA SCRIPTURA.

Cainus fratrem Abelem occidit, sed justitiæ talionem advertit, dum

in sylva pro fera habitus à Lamecho abnepote occiditur. *Gen. I. 4.* occasio-  
ne hujus sit.

### Q UÆSTI O N P R I M A.

An ergo justitia consistat in repatione, seu an talio simplicitur ponat  
justum?

Quamvis sacræ paginæ insinuent, quicunque effuderit sanguinem hu-  
manum, effundetur & ejus sanguis, omnes qui gladio ferierint, gladio  
peribunt, oculus pro oculo, dens pro dente &c. *Exod. 21. vers. 23 &*  
*seqq.* hæc tamen tanta non sunt, ut Universalem sive distributivæ sive  
commutativæ justitiæ rationem in jure talionis tutò collocare possint, for-  
ma enim justitiæ distributivæ consistit in analogia Geometrica, quæ non  
indifferenter juxta numerum personarum præmia pœnasque distribuit, sed  
quod cuique convenit, perpendit *Cicer. lib. I. de offic.* commutativa qui-  
dem versatur circa contractus & æqualium rerum permutationes, for-  
mamque tenet proportionis numericæ seu arithmeticæ ut consideretur  
datum & acceptum, quia tamen præcisa æqualitas rei ad rem constitui non  
potest, nisi accedit determinatio legislatoris, quæ res & facta ipsa æstimet,  
& hinc ad æqualem rerum valorem juxta *I. 2. Cod. de rescind. vend.* & *I. 3. cod. comm. utriusque jud.* reducat, simpliciter dici non potest hanc justi-  
tiam juri talionis seu contrappassi inniti.

### PERTINENS SECUNDUM.

Amanus Assuero gratus Mardochæo Judæisque omnibus mortem in-  
tendens ipse patibulo, quod inimico destinaverat, suffixus peperdit,  
unde.

### QUÆSTIO SECUNDA.

An & quando procedat regula quod quisque juris in alterum statuit eo-  
dem & ipse utatur! Omnia legum finis est, ut sic faciamus aliis quem-  
admodum volumus nobis fieri *Matth. 7. Luc. 6. v. 31.* habet autem hoc  
edictum duo capita, Primo continetur, ut si magistratum potestatem  
que habens novi quid juris dolosè in aliquem statueret, ut & ipse ca-  
sus vicissitudine ita emergente & Adversario ita postulante ejusdem juris ex-  
ecutionem in se patiatur: secundo capite caveatur, ut etiam is qui vel suo vel  
alieno nomine iniquum jus pro se impetravit à judge, saltet ut uteretur,  
licet actu usus non fuerit, etiam eodem jure adversus eum ad petitionem  
aliorum eadem subintrante æquitatis ratione decernatur.

PERTINENS II SACRA SCRIPTURA

dis

## DISSERTATIO SECUNDA.

### De Sponsalibus & Matrimoniis.

**S**PONSALIA quæ nuptias præcedunt à spondendo vel sponte dando dicta sunt MENTIO ET REPROMISSIO FUTURARUM NUPTIARUM l. i. ff. de spons. unde patet, quod in sponsalibus non contrahantur nuptiæ sed oriatur obligatio ad contrahendum matrimonium, quod aliter CONJUGIUM appellatur quæ vox deducta à jugo, quo par hominum ad mutuam fidem, castitatem & auxilium devincitur, ac tam divino quam humano jure uxor maritali imperio subjicitur, quamvis autem sponsalia hoc proposito fiant, ut matrimonium ea sequatur, tamen cogi contrahentes ad id non possunt nisi juramentum interpositum sit *Cap. ex litt. ext. de spons.* ac neque hoc fieri potest, nisi purè contracta fuerint, nam in conditionalibus Sponsalibus obligatio matrimonii contrahendi manet suspenfa, donec extet conditio, nisi forte conditionalem consensum sponsaliorum concubitus, aut consensus per verba præsentis temporis secutus sit, isto namque consensu recessum à conditionali videtur sicuti in aliis obligationibus *Cap. de illis cap. super eo & cap. per tuas ext. de condit. appos. in de spons.* in ipsa qualitate conditionum hæc spectantur, ut si conditio sponsalibus apposita pugnet cum matrimoniorum jure, tota dispositio sponsaliorum pro nulla habeatur v. g. si quis promittat mulieri se ducaturum illam, si fætum conceptum extinguat veneno, si se adulterandam dederit; conditio inhonesta aut impossibilis non vitiat sponsalia, dummodo matrimonii legibus non adversetur, hinc sit.

### PERTINENS HISTORICUM.

Temporibus Arcadii, Honorii & Beati Martini quidam Juvenis Romæ de Nobilioribus senatorum & virgo æque nobilis non tamen sponte suâ sed parentum & vi & auctoritate matrimonio juncti perpetuam castitatem sub solo nomine conjugii servarunt, & fideles virgines vel potius in igne fideles martyres Christi manserunt inusti *Beatus Greg. Turonensis lib. de glor. confess. cap. 32*; exinde fit.

### QUÆSTIO PRIMA CAN.

An Conditio perpetuæ continentiae inter contrahentes apposita matrimonium vitiet? ex dictis patet, quod talis conditio, quamvis honesta sit, in continentia tamen apponi non possit, cum sit contra conjugii substantiam quæ consistit in consensu saltem tacito ad carnalem copulam nempe in explicito consensu ad cohabitationem conjugalem, repugnat ergo istius conditionis adjectio ipsi consensui, quia in pactum deducitur ista hæc

con-

continentia Covarr. de matrimonio p. 2. tit. I. §. I. cap. 3. num. 5. citans pro  
se S. Thom. in q. disf. 28. quæst. fin. sed sic.

#### PERTINENS SECUNDUM.

Archiducissa Austriæ fuit anno Christi 1595. despontata principi Trans-  
sylvaniae per legatum, qui à calce ad pedes usque loricatus cum sponsa ja-  
cuit in conspectu totius aulæ, donec certæ preces à sacerdote fuissent abso-  
luta Nicol. Dogl. pag. 191. unde.

#### QUÆSTIO SECUNDA.

An Matrimonium inter absentes cum effectu contrahatur? cum essentia  
constitutiva matrimonii consistat in consensu de præsenti, verbis vel signis  
debitè hodie in præsentia Parochi unius ex contrahentibus proprii & testium  
duorum vel trium expresso, & hinc inde acceptato, nemo inficias ibit,  
inter absentes matrimonium cum pleno effectu iniri posse tam per litteras  
quam per procuratorem observatis tamen *in cap. fin. de procuratoribus in 6.*  
*expressis requisitis;* quæ & qualia ea sint interroganti plenius explanabo.

### DISSERTATIO TERTIA.

*De Tutelis.*

**T**utela quæ est munus publicum *in princ. Inst. de Excusat. tut. &c. l. 9.*  
*verb. tutor. ff. de his qui sui vel alieni juris sunt.* A quo regulariter fæminæ  
excluduntur, à tuendo dicta præter morem Jutorum à servio Jtorum de-  
finitur *quod sit vis ac potestas ad tuendum eum qui per ætatem*  
*se defendere nequit jure civili data et permissa;* communiter  
desumpta secundum *Ant. Perez.* hic ratione divisionis à triplici causa effi-  
ciente, testatore scilicet, lege & judice, dividitur in testamentariam, legi-  
mam & dativam, præcedit testamentaria legitimam, legitima dativam,  
ideo quia provisio hominis in testamento facta tollit provisionem legis,  
deinde legitima præcedit dativam, quia si non sunt testamentarii, ipso jure  
tutores sunt agnati, idque summâ est introductum providentiâ, ut qui  
sperant successionem, etiam onus tutelæ sustineant *l. 1. ff. de legit. tutor.* si  
nec testamentarii nec agnati, dantur in favorem pupillorum tutores à magi-  
stratu, qui dativi dicuntur, unde sit.

#### PERTINENS POLITICUM.

Henricus tertius cum præmature utpote 39. ætatis suæ anno extremum  
obiisset diem, reliquo successore adhuc in tenera ætate Henrico quarto,  
qui ad 10. usque annum sub matris suæ Agnetis tutela & directione degebat,  
atque ita totum imperium ad unius fæminæ nutum regi videbatur molestè  
saris id ferentibus imperii statibus, Otto Regulus Bavariæ, Hanno Archi-  
Episcopus Colonensis & Egbertus Dux Saxon, communicatis inter se con-  
siliis

filiis id agunt, ut machinatione quādam mātris tutelam imperiūque administrationem temperarent. Lemannus Chron. spir. lib. 5. cap. 25. exinde fit.

### QUÆTIO PRIMA.

An Mater tutrix tutelam amittens ob secundas nuptias mortuō maritō secundō eam reassumere possit? quamvis olim mulier tutrix non dabatur *l. 1. Cod. quando mulier offic. tut. fung. poss.* quod civilibus seu publicis munieribus, inter quæ, tutela est, non fungantur *l. ult. b. tit. & l. femina 2. ff. de reg. jur.* hodie tamen mater & avia tutrices testamento rectè dantur, & non datæ admittuntur, etiam ante legitimos, modò renuncient beneficio *SCti Vellejani & secundis nuptiis Auth. mari & Avia Cod. quando mul. off. tut.* etiam si creditrices vel debitrices sint liberorum *Auth. ad hac Cod. eodem;* contractis vero secundis nuptiis mox à tutela removentur, *Auth. sacrament. Cod. d. tit.* ut plurimi DD. autoritate Cyni: *in d. auth. matri & avia Hippol. de Marsil. in l. etiam si reditisibus num. 6 ff. de quest.* Bald. §. nos autem col. 10. & 12. *Instit. de Attil. tut.* concludant illam post mortem secundi mariti reassumere non posse. ego tamen cum Angelo Fabr. & Alex. quæstionem distinguendam esse censeo.

### IMPERTINENS HISTORICUM.

Scilurus moritus cum 80. filios post se esset relicturus, fasciculum hatchium singulis porrexit ac confringere iussit, cum nullus id præstare posset, ipse singulatim unum post alterum exemit & fregit docens eos, junctos inter se vires habituros & perduratuos, si vero disjungerentur & discordias agitarent infirmos fore *Plutarcbus* in apophegmat, unde.

### QUÆSTIO SECUNDA.

An pluribus tutoribus existentibus & uno illorum male administrante quilibet teneatur in solidum: sub distinctione resolvitur.

### DISSERTATIO QUARTA.

#### De rerum divisione & acquirendo earum dominio.

**O**Mnia in primordio nascentis mundi communia fuisse ex Script. & historiis constat, quia vero per peccatum originale humana natura adeo depravata fuit, ut sèpe robustiores & potentiores prohiberent alios à rerum multarum usu ac fructu, & ignavi semper alieno labore ali vellent, suadente naturali ratione dominia rerum fuerunt distincta, gentes discretæ, regna condita, urbes exstructæ, agris termini positi, commercium, emptiones, obligationes institutæ, bella introducta *l. 5. ff. de just.* Et jura unde sit.

### PERTINENS HISTORICO POLITICUM.

Ingens fuit contentio inter scholas Pythagoræ & Socratis, Socratici enim opti-

optimum fore dicebant si omnia communia ; cunctique homines æquales essent , Pythagorici econtra afferebant felicem fore rempublicam ubi suum quisque haberet , uni omnes obedirent *Guevarra lib. 1. cap. 28. n. 108.* quare sit.

### QUÆSTIO PRIMA.

An ergo societatis humanae salus consistat in imperare & obedire ; præferaturque imperium unius communioni ? Ego sententia Pythagoricorum , subscribo , communio enim tantas discordias , invidias ac bella generare consuevit ut nemo ea satis describere possit *Curt. lib. 8.* sed sit.

### PERTINENS SECUNDUM.

Postquam *Konigsmarckius* parvam Pragæ partem Regiamque in ea arcem præter omnium opinionem anno 1648. summo mane aggressus & potitus esset , maximâ familiarum opum jacturâ , reliqua urbis partes admirandâ præprimis studiosorum & civium alacritate fuerunt propugnatæ & conservatæ , ita ut hostium insultus & conatus irriti sint redditi , donec 30. annorum bellum pace Monasterensi multis licet , qui bona sua exinde amiserant , reclamantibus restinctum fuit , ibique bellum denique cessavit ubi incepit . *Adolph. Brach. pag. 124. lib. 7. hist. unde.*

### QUÆSTIO SECUNDA.

An princeps pacis promovendæ causa bona privatorum possit hosti addicere ? Quemadmodum natura homini altè inlinuavit , ut singula membra cordi dolenti mittant auxilio suum sanguinem , ita similiter quisque privatorum rei communis necessitatibus succurrere & opes fortunasque suas in Reipubl. utilitatem conferre tenetur , & si non faciat ad id bono publico ita exigente compellitur , ergo & hic cum pacis promovendæ causa publica sit argumento *I. si quis 21. §. in civil. ff. de capt. & postlim. revers.* potest princeps bona privatorum hosti addicere , etiam sine eorum consensu , si aliter pax obtineri non possit , ob publicam enim utilitatem receditur à regulis juris communis & subinde jus suum privato admittitur *§. 2. ibi Dominorum Inst. de his qui sui vel alieni juris sunt,* ratio ulterior assignatur quod tempore necessitatis omnia sint communia , sicque qui vitam socialem popularem ac politicam elegit , huic legi se submittere videtur , quia tamen jure naturæ congruit , ut communis salus , necessitas aut commune periculum v. g. si ob exortum incendium vicina domus destruatur non unius aut alterius sed communibus impensis , jacturis comparetur *I. secundum naturam ff. de reg.* Juris ideo respublica obligata congruam moderatamque compensationem huic , qui rem suam dedit ad sublevandam publicam necessitatem , præstare arg. *I. Rhodie de jactu.*

DIS-

## DISSERTATIO QUINTA.

### De Donationibus.

**D**onatio à doni datione deducitur *l. 35. §. 1. ff. de mortis causa donat.*, donum vero à donando dictum à munere sicuti genus à specie distinguitur *l. inter donum ff. de verb. sign.* ex quo patet quod, si à promissione incipiat donatio propriè dici non posuit, quare contractus donationis propriè rei interventu perficitur, & vel est simplex aut ob causam aut sub modo, aut conditionalis, donatio simplex propriè est donatio & definitur vel potius describitur secundum *Hostiensem hic QUOD SIT REI LICITÆ NULLO JURE COGENTE l. donari 29. ff. b. tit. & 82. de reg. juris EX MERA LIBERALITATE COLLATIO*, in plures distinguitur species una *INTER VIVOS altera MORTIS CAUSA* quæ sit triplici à me dicendo modo, quare loco pertinentis sit

### IMPERTINENS JURIDICUM.

Ex jure constat legatum in annos singulos factum non censeri unum sed plura *l. si in singulos 4. & l. cum in annos 11. ff. de annuis legatis occasione hujus est.*

### QUÆSTIO PRIMA.

An ergo idem dicendum de donatione mortis causâ in annos singulos facta Resp. veritas est ejusmodi donationem censeri unicam, quia nimis spectatur initium secundum quod accedit contractibus & stipulationibus, quæ in singulos annos factæ habentur pro una *l. si Stichum 16. ff. de verb. obligat. & text. expressus in supra citata l. 35. in fin. ff. de mortis causa donat.* sed sit.

### PERTINENS HISTORICO POLITICUM.

**P**tolomæus Ægyptiorum Princeps cum prodigus omnia sua sine omni futurorum respectu dilargiretur, monitus à proceribus Ægyptiis ut ad largendum esset restrictior; iis respondit: vehementer erratis Ægyptii principem pauperem & egenum discrimini probróque obnoxium esse existimandum, ego enim hac in parte ausim dicere principem pauperem ac inopem felicem esse existimandum, nam bonos principes magis complacere sibi decet, in eo quod alios locupletent quam quod opes amplissimas habeant *Guevarra in horol. princip. lib. 1. cap. 31. num. 572. ex Plutarcho in apophthegm.*

### QUÆSTIO SECUNDA POLITICA.

Quid ergo in principe exitiosius sit, nimia prodigalitas, an nimis avara corrasio pecuniarum? ut vana est sine viribus ira *Liv. 19. decad. 1. lib. 1.* ita misera principis majestas sine ærario, quod est nervus bellorum *Tacit. lib. 2. hist.* per quæ regna augentur, acquiruntur ac conservantur, ut sa- tius videretur principem corraderet thesauros, quibus postea bella gerere ac

regna sua conservare possit: at si prodigalitas in suum sicut populum, non tantum exitiosa, sed imo magis virtuosa est beneficiis, enim melius imperium custoditur quam armis. *Seneca de brevit. vita*, & regem expedire esse copiosum, ita tamen ut dicitas suas populi esse reputet, cum domus principis munificentia officina sit, *Valer. max. 4. 8.* hinc bene ille Theban. pelipodes in largiendo minime parcus interrogatus cum esset, quare in suis ita prodigus esset, respondit pecunias mihi servire non à me adorari oportet, unde principis mentem tanto in suos benignorem esse decet, quanto fortunā præstantior *Paca. paneg.* ut bene *Leo Sermonē 1. de collect. dicat.* idcirco te Deus abundare voluit, ut per te alias non egeat, & *Ambrosius Psal. 118.* tolerabilius est propria profundere quam aliena diripere.

## DISSERTATIO SEXTA.

*De testamentis.*

**A**ggregans materiam practicam utilem & magni momenti, remissis iis quæ de etymologia nominis disputari solent ad contentiones juristarum civilium præliminariter insinuat volo, in scripturis & codicibus etiam juris humani testamenti nomine non tantum venire elogia ultimorum voluntatum sed & pacta, mandata seu præcepta & promissiones solenniter factas, ex quibus colligitur sacra biblia veteris & novæ legis testamenta vocari, nosque in iis à testatore Christo qui pro nobis mortem suscepit hæredes æterni regni abdicato & ex hæredato Judæorum populo scriptos esse quibus breviter observatis dico cum Ulpiano *in l. 1. ff. qui testament. facere pos.* quod TESTAMENTUM SIT JUSTA VOLUNTATIS NOSTRAE SENTENTIA DE EO QUOD QUIS POST MORTEM SUAM FIERI VELIT, quod respectu formæ aliud solenne, aliud scriptum, aliud nuncupativum, respectu personæ vero aliud paganum aliud militare, item aliud privilegiatum aliud non privilegiatum, aliud iterum secundum formam juris civilis, aliud secundum statuta sanctorum canonum, quorum *cap. relatum 11. extra hoc tir.* cynosura est, conformatum dicitur.

### PERTINENS POLITICUM.

Aristotelem pñnitiebat quod unum diem intestatus mansisset teste Stabæo, utinam omnes pñnitentiâ ducerentur & audirent monentem Augustinum ad fratrem in eremo serm. 48. fac testamentum dum sanus, dum sapiens, dum tuus es; nam si exspectaveris infirmitatem, minis vel blanditiis duceris, quo tu non vis, unde sit.

### QUÆSTIO PRIMA.

An ergo non licet aliquem compellere ut testamentum faciat, aut impedire quo minus faciat? quamvis deducente Zoëlio *in ff. lib. 29. tit. 6. num 3.* licet citra pñnam eorum, qui aliquem testari prohibuerint vel coegerint,

*ægræ*

ægræ mulieris animum maritali sermone placando blanditiis invitare ad suum  
commodum, ista tamen ratione ii non veniunt excusandi, qui orbis & se-  
nibus adhærentes obsequiis munusculisque eos allicit, omnia uno sinc  
ut in fine testamenti pars sint *Lipsius in notis ad Senec. de benefic. lib. 6. fol. 363.*  
quorum artificium suaviter descriptum videre licet apud Horatium *Sayr. 5.*  
*Serm. lib. 2.* nam si vir bonus teste Cicerone *lib. 3. de offi.* habeat hanc vim,  
ut si digitis concrepuerit, possit in locupletum testamenta irrepere, hac vi  
non utatur, ne, siquidem exploratum habeat, id omnino neminem unquam  
suspicaturum; jamque olim testamentum ejus qui blanditiis & suasionibus  
ingravescente morbo disposuerat, non valere statuit Solon *Plutarchus in*  
*Solone* nec id ipsum se concessurum edixit Plato *lib. 11. de legibus* adeo ut te-  
stamentorum captatores corvis comparaverit *Perronius*; nihilque dissimiles  
libitinariis & designatoribus judicaverit *Seneca supra citat. loco.*

#### PERTINENS HISTORICUM.

Eduardus Henrici octavi Regis Angliae ex repudiata Catharina filius regni  
succesor, gravatus fuerat per testamentum in defectum prolium Mariæ &  
Elisabethæ sororibus licet disparibus successionem servare illibatam, ast is à  
duce Nortumbriæ cōd fuit persuasus ut testamento innovato Annam Grajam  
ex ducis familia neptem institueret, unde.

#### QUÆSTIO SECUNDA.

An possidens bona fideicommissio obnoxia possit de iis facere testamen-  
tum? Cum possidens bona fideicommissio obnoxia adeò vinculatum eorum  
habeat dominium ut ea alienare non possit *I. fin. & auth. res que Cod.*  
*com. de leg.* teitatoris enim rem fideicommissio affientis voluntas illa est,  
ut omnis alienatio cui in variis textibus hæredis institutio adnumeratur *I. si*  
*quis 2. §. 2. Cod. de secundis nuptiis & I. 1. Cod. de fundo dotali* citra ejus inten-  
tionem subsecuta nulla sit *I. filius fam. 114. §. Divi 14. ff. de leg. 1.* dubium  
non est testamenti factionem circa res fideicommissio obnoxias esse inhibitam  
*Gail. lib. 2. obs. 137.* præter alias rationes quas interroganti vivâ voce expla-  
nabo, facit quod bona restitutioni obnoxia habeantur pro alienis, de qui-  
bus testamentum fieri non potest *I. qui rem alienam ubi Gloss. Cod. de leg.*  
vult tamen *Carpz. part. 3. defin. 32. cap. 8.* si res esset tempore peritura, vel  
etiam liberi rogati restituere congruam dotem aut donationem propter nu-  
ptias non haberent, vel gravatus aliunde alimenta non inveniret, aliena-  
tionem esse indulgandam *ex modo cit. auth. res que* unde si fideicommissum  
esset in genere factum ut in familia maneat, poterit adhuc gravatus uni ex  
familia, cui vult rem per modum confirmationis non autem novæ disposi-  
tionis relinquere ita *supra citatus Schambogen in tractatu suo juridico de testam.*  
*part. 1. quest. 36. pag. 188. vers. quod si.*

## DISSERTATIO SEPTIMA.

*De Jure succedendi ab intestato.*

**V**ino vendibili, ut trita fert paræmia, non est opus suspensâ hæderâ, ita hujus materiæ utilitas non eget prodomâ laude, utpote quæ quotidie in theoria & praxi occurrentis ipsa se satis commendat *Andler in medulla jur. Instit. lib. 3. sub init. tit. 1.* quia vero hanc materiam collatio, quæ est confusio bonorum proprietatum cum hæreditariis, ingreditur, placuit de ea breviter subjungere

### PERTINENS IMPERTINENS.

Quidam studiosus abliguriit omnia, tandem divenditis libris corumque pretiò genio indulgens parenti scripsit: gaudé! gaudé pater! jam enim quod toties optasti, libri me alunt exinde fit.

### QUÆSTIO PRIMA.

Ad hic conferre debuisset? quamvis verba *auth. r. habita Cod. ne filius pro patre* satis pathetica sint & singulos tum parentes tum fratres, sorores aliosque cognatos permovere deberent, ut posius quibus possunt laudibus filios fratresque eruditos extollant, quam iniipiis querelis & calamitatibus, ut sèpe fit, afficiant, me tamen eo adducere non possunt, ut talem studiosum in proposita hypothesi ab onere collationis eximam.

### PERTINENS JURIDICUM.

Antonius Perez. Vir clarissimus casum proponit, duo fratres gemini oris lineamentis & totius corporis similitudine adeo similes, ut alter ab altero dignosci non posset, singuli singulos habent natos simillimos, ita ut illud poëtæ illis applicari possit *proles indiscreta Iuis, gratisque parentibus error.* filii studiorum gratiâ peregre proficiscuntur, altero volventibus annis ibi vitam finiente parentibus etiam procreatis aliis liberis naturæ debitum solventibus remeat superstes filius in patriam, & patrem & patruum ex hac vita migrasse intelligit, qui sint fratres germani, qui patruelles ignoratur, unde

### QUÆSTIO SECUNDA.

Cui succedat? utrique? patruelles sine culpa caderent portione hereditatis, neutri? at hic sine facto suo spoliabitur bonis, ad quæ natura & parentum votum illum admittunt, hæret hic vir clarissimus, ego filio superstiti ut pinguiorem hæreditatem prætendat, Suadeo

## DISSERTATIO OCTAVA;

*De Contractibus.*

**C**Ontractus in genere est conventio sive consensus duorum vel plurium in idem placitum, habens in se causam id est civile negotium dandi vel faciendi *L. solent ff. de prescriptis verbis.* alius dicitur nominatus qui certum & proprium nomen à lege sibi tributum habet ac certam nominatamque actionem de jure producit, alius innominatus qui non habet proprium & speciale nomen, causa tamen, hoc est datio aut factum subest *I. 7. §. 2. de pactis* unde actio ex illo resultans incerta in factum civilis dicitur, plura enim sunt negotia quam rerum vocabula *Zoes. in ff. de obligat. & actionibus num. 20.* & sunt illorum quatuor do ut des *I. 3. & 5. ff. de prescriptis verbis.*

### PERTINENS SCRIPTURISTICUM.

Joseph à fratribus venditus à Putiphare in caceres dejectus ex interpretatione somnii Pharaoni notus è carcere ad regimen evectus, futuram sterilitatem prævidens omnem annonam solus coëmit *Flavius Joseph. antiq. Histori. lib. 2. cap. 3.* exinde fit.

### Q UÆSTIO PRIMA.

*An Monopolium de jure sit litium.*

Quanquam monopolium teste *Damboud prax. crim. c. 132.* sit crimen detestabile & regimini valdè obnoxium, ut non tantum prospexerit constitutio Imperatoris Zenonis in *I. un. Cod. de monop.* adversus eorum monopolia qui vel in commercio piscium marinorum seu fluvialium, aut in re alia qualibet annonaria, aliisque negotiationibus inter se faciunt conventicula, ut certis pactisque inter se pretiis vendant, pœnam deportationis & confiscationis bonorum statuens in hujusmodi pacifcentes; sed & novissima Justiniani constitutio *Novel. 122* frænum imposuerit negotiatoribus, mercatoribus, artificibus, variis agricolis, nautis ne illorum quis plus exigat nomine pretii vel mercedis quam vetus consuetudo & mos fuerit, non infiior tamen quin concurrentibus iis quæ à *Menoch. lib. 2. arbit. caus. 559. num. 27.* adducuntur, princeps in suis ditionibus monopolia quarundam rerum permittere possit.

### IMPERTINENS SECUNDUM.

Inquit Aristoteles *I. polit. 2. lib. 2. c. 1.* in animalibus & plantis naturale est desiderium quale quodque est tale alterum relinquendum, hinc.

## QUÆSTIO SECUNDA FEUDALIS.

Cum parentes plerumque magis amare soleant filios quam filias , an ergo fœmina semel à feudo exclusa censeatur in perpetuum exclusa ?

Difficilis hæc & perplexa est quæstio , inquit Gail. lib. 2. obs. 148. num. i. communius receptum est fœminam à successione feudi per existentiam masculorum semel exclusam perpetuo exclusam esse ita tenet Curt. Jun. in tract. feud. in princ. part. tert. partis prin. num. 32. Zaf. in epit. feud. p. 8. tit. de success. feud. num. 58. & alii quos resert & sequitur Cit. Gail. ita ut tali casu , quando vasallus ultimus sine hæredibus masculis moritur , filiæ vel earum heredes masculi ad successionem feudi amplius non admittantur , sed illud tanquam apertum ad Dominum revertatur , neque id durum & iniquum videri debet si natura feudorum perpendatur , quæ est ut fœminæ non succedant Fach. lib. 7. cap. 45. & lib. 1. feud. tit. 1. §. 3. æquior tamen & jure non improbabilis mihi videtur altera sententia .

## DISSERTATIO NONA.

### De Judiciis & Appellationibus.

Res controversa quæ sine strepitu amicabiliter componi nequit , tunc ne quis sibi propriâ authoritate jus dicat , aut ne etiam litigantes per veniant ad arma & ultiōnem sumant , in judicium est deferenda , quod relictis varijs ad doctrinam potius , quam ad præsentis disquisitionis brevitatem pertinentibus in jure significationibus hic pro legitima controversiæ per Judicem pro tribunali sedentem cognitione definitione sumitur Zoes. inff. de judiciis num. 4. & si tunc in prima instantia feratur sententia contra jus alterius litigantium idque vel per imperitiam vel per iniquitatem Judicis quæ ut coerceatur l. 1. ff. de appellat. introductum est remedium appellationis , quæ ab inferiore judge ad superiorem facta provocatio ratione gravaminis illati vel inferendi dicitur , tempus interponendæ appellationis hodie est decendum , si gravamen fuerit momentaneum Aut. bodie Cod. de appell. idque à die latæ sententiæ vel scientiæ , estque initio utile , cursu vero continuum l. 1. §. dies ff. quando appelland. vocatur hoc tempus aliter fatale , ut si intra illud non appelletur sententia transeat in rem judicatam & Appellatio fiat deserta , cap. quod ad consultationem 15. ext. de sentent. & re jud. quasi fato moriatur & extinguatur . l. cum lite mortua ff. judicat solvi .

PER.

## PERTINENS HISTORICUM.

Alexander magnus non tam cupiditate immortalis gloriæ quam justitiæ zelo incensus curiam aliquando immutatis vestibus invisens ut justitiam experiretur, casu in litigium venditorem & emptorem inter de acceptando thesauro in fundo vendito invento incidit, uterque partium honorarium obtulit, judex tamen sibi oblatum respuit, donec sententia decisa fuisset, ut is thesaurus utriusque partis liberis matrimonio simul jungendis in domum cederet, recessit Alexander mirâ satisfactione *Weber. in suis decis. pag. 874. unde.*

### QUÆSTIO PRIMA.

An judex propter accepta esculenta & poculenta in crimen repetundarum aliquando incidere possit? quisquis negat, dicit inhumanum esse à nemine accipere sed passim vilissimum *I. 6. §. 3. ff. de offi. procons. omnia vero avarissimum*, cui etiam favere videtur quod in *I. 18. ff. de offi. præsidis.* habetur, ut ne quis præsidum munus, donum caperet, nisi esculentum proculentumve quod intra paucos dies prodigatur, sive nullatenus presumi possit, quod judex propter scientiam & conscientiam quæ in eo juxta *Bald. in I. 2. Cod. de sentent.* requiruntur pro esculentis & poculentis cum periculo quadrupli & nota imprudentis justitiam inestimabilem sic venditur; affirmantibus tamen suæ non desunt rationes, quarum inter cæteras una sit quod in administratione constitutis nihil penitus exceptis solis salariis licitum accipere *I. 6. Cod. ad I. Jul. reputand.* negativa quidem communior est utramlibet tamen ingenii excolendi gratiâ sustinebo.

## PERTINENS SECUND: HISTORICUM.

Philippus Macedo Rex *Plutarch. in apophthegm.* Machetæ cujusdam pro tribunali sedens causam dormitabundus audivit nec satis attentus ad juris æquitatem sententiam tulit adversus Machetem; verum cum is exclamasset, se ab ea sententia appellare, Rex iratus, ad quem inquit? Machetes ad te ipsum ô Rex si expurgiscaris, & attentius causam audias, ac tum quidem ubi causâ attentius auditâ Machetæ factam injuriam intellexisset Rex, judicata non rescidit, sed pecuniam, quâ damnatus fuerat Machetes, ipse persolvit, unde sit

### QUÆSTIO ULTIMA.

*An semper justum Appellare ad supremum Dei tribunal.*

**D**E Broemo Arcis carpensis præfecto pro Rege Catholico commorat in chron. Leodiensi Joannes à Cheapiaville, dum initio turba-

turbarum belgicarum sub anno 1578. Belius quidam Traiectensis consulis filius hanc arcem occupasset Broemium illico strangulare jussit , qui ad supplicium postulatus Belium intra annum ad supremi judicis tribunal evocavit , coram eo causam dicturus , res mira Belius anno subsequenti eodem die & loco mortisque genere à Gonzaga & Mondragonio multatur quo ille anno superiori alterum afficerat negativæ tamen subscribens Zoilum ut iis , quæ pro ingenii mei tenuitate nimis obscurè scripsi , addat opem , enixè rogo & pro hac vice ad eum , per quem ceipi , non stante pede sed supplici poplite appello cui sit laus & Gloria.

F I N I S.

